

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



IN FESTO DESPONSATIONIS  
BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

C V M

SANCTO IOSEPH.

*D V P L E X.*

A Sac. Congt. Ritu. recognitum,  
& approbatum.



Barcinone, Ex Typ. Antonij Lacavalleria, in viâ  
Bibliothecariâ, Anno 1683.



DIE XXIII. IANUARIJ.

OFFICIUM.

IN FESTO DESPONSATIONIS

BEATÆ VIRGINIS Mariæ

CVM SANCTO IOSEPH.

DVPLEX.

*Pro omnibus Hispaniarum Regnis, ex Bulla SS. D. N. Innocentij Papa XI. sub datis Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 18. Martij 1680.*

AD VESPERAS.

*Añã. Desponsatio gloriose. cum reliq. de Laud.*

*Psalm. Dixit Dominus, cum reliq. de Beata Maria, ut in ejus Officio parvo.*

*Capitulum.*

**A** B initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.

*Hymnus.*

**A** Ve maris stella,  
Dei mater alma,  
Atque semper Virgo,  
Felix cœli porta.  
Sumens illud Ave,  
Gabrielis ore,  
Funda nos in pace,  
Mutans Hevæ nomen:  
**S**olve vincla reis,  
Profer lumen cæcis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posse.  
Monstra te esse matrem,

A 2

Su-

*In festo Desponsationis B. M. V.*

Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus,  
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,  
Inter omnes mitis,  
Nos culpis solutos,  
Mites fac, & castos.

Vitam præsta putam  
Iter para tutum,  
Ut videntes Iesum,  
Semper collætetur.

Sit laus Deo Patri,  
Summo Christo decus,  
Spiritu sancto,  
Tribus honor unus.  
Amen.

¶ Desponsatio est hodie  
sanctæ Mariæ Virginis.

℞. Cujus vita incluta cun-  
ctas illustrat Ecclesias.

*Ad Magnificat. Añã.*

Gloriosæ Virginis Ma-  
riæ Desponsationem dig-  
nissimam recolamus, quæ  
& genitricis dignitatem  
obtinuit, & virginalem pu-  
dicitiam non amisit.

## ORATIO.

FAMILIIS tuis, quæsumus  
Domine, cœlestis gra-  
tiæ munus impertire: ut,  
quibus beatæ Virginis par-  
tus exitit salutis exordiū,  
Desponsationis ejus votiva  
solemnitas pacis tribuat  
incrementum. Per Domi-  
num nostrum.

*Ad Matut. Invitat.*

Desponsationem Virgi-  
nis Mariæ celebremus,  
\* Christum ejus Filium a-  
doremus Dominum.

*Psal.* Venite, exultemus.

*Hymnus.*

QVEM terra, pontus, si-  
dera.

Colunt, adorant, prædicant,  
Trinam regentē machinā,  
Claustrum Mariæ bajulat.

Cui luna, sol, & omnia  
Deserviunt per tempora,  
Perfusa cœli gratiâ,

Gestant

*cum sancto Ioseph.*

Gestant puellæ viscera.

Beata Mater munere,  
Cujus supernus Artifex,  
Mundum pugillo continēs,  
Ventris sub arca clausus est.

Beata cœli nuntio.  
Fecunda Sancto spiritu,  
Desideratus gentibus,  
Cujus per alvum fusus est.

Iesv, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine,  
Cū Patre, & almo Spiritu,  
In sempiterna sæcula. Amē.

### IN I. NOCTVRNO.

*Añã.* Benedicta tu in mulie-  
ribus, & benedictus fruc-  
tus ventris tui.

*Psal.* Domine, Dominus  
noster.

*Añã.* Sicut myrrha electa,  
odorem dedisti suavitatis,  
sancta Dei genitrix.

*Psal.* Cœli enarrant gloriã  
Dei.

*Añã.* Ante totum hujus  
Virginis frequentare nobis  
dulcia cantica dragmatis.

*Psal* Domini est terra, &  
plenitudo ejus.

*V.* Specie tua: \* Et pul-  
chritudine tua.

*R.* Intende, prosperè pro-  
cede, & regna.

Incipiunt Cantica Can-  
ticorum.

*Lectio j.* Cap. I.

**O**sculetur me osculo  
oris sui: quia melio-  
ra sunt ubera tua vino,  
fragrantia unguentis opti-  
mis. Oleum effusum, no-  
men tuum: idè adolef-  
centulæ dilexerunt te. Tra-  
he me: post te curremus  
in odorem unguentorum  
tuorum. Introduxit me  
Rex in cellaria sua: exul-  
tabimus, & lætabimur in  
te, memores uberum tuo-  
rum super vinum: recti  
diligunt te. Nigra sum, sed  
formosa, filix Ierusalem,  
sicut tabernacula Cædar,  
sicut pelles Salomonis.

*R.* Hodie desponsata est

A 3

bea-

*In festo Desponsationis B. M. V.*

Virgo Maria ex pro-  
David: \* Per quam  
mundi credentibus  
uit, cuius vita glo-  
lucem dedit sæculo.  
Desponsationem beatæ  
& Virginis cum gau-  
lebremus. Per quam,

*Lectio ij.*

Olite me considerare  
quod fœca sim, quia  
oloravit me Sol, filij  
ris meæ pugnauerunt  
tra me, posuerunt me  
odem in vineis: vineam  
custodivi: iudica mi-  
quem diligit anima  
a, tibi pascas, vbi cubes  
meridie, ne vagari inci-  
m post greges fodalium  
orum. Si ignorans te, ô  
lcherrima inter mulie-  
egredere, & abi post  
stigia gregum, & pasce  
edos tuos juxta taberna-  
la pastorum. Equitatu  
eo in curribus Pharaonis  
unilavi te, amica mea.

Pulchræ sunt genæ tuæ  
sicut turturis: collū tuum  
sicut monilia,

z. Beatissimæ Virginis Ma-  
riæ Desponsationem devo-  
tissimè celebremus: \* Ut  
ipsa pro nobis intercedat  
ad Dominum Iesum Chri-  
stum,

y. Cum iucunditate Des-  
ponsationem Beatæ Mariæ  
Virginis devotissimè cele-  
bremus.

*Lectio iij.*

**M**Vrenulas aureas fa-  
ciemus tibi, vermi-  
culatas argento. Dum es-  
set Rex in accubitu suo,  
nardus mea dedit odorem  
suum. Fasciculus myrrhæ,  
dilectus meus mihi, inter  
ubera mea commorabi-  
tur. Botrus Cypri, dilectus  
mihi, in vineis Engaddi.  
Ecce tu pulchra es, amica  
mea, ecce tu pulchra es,  
oculi tui columbarum. Ec-  
ce tu pulcher es, dilecte

mi,

*cum sancto Ioseph.*

mi, & decorus. Lectulus  
noster floridus : tigna do-  
morum nostrarum cedri-  
na , laquearia nostra cy-  
pressina.

℞. Gloriosæ Virginis Des-  
ponsationem dignissima m  
recolamus : \* Cujus Do-  
minus humilitatem respe-  
xit, quæ Angelo nunciante  
concepit Salvatorem mū-  
di.

℣. Beatissimæ Virginis Ma-  
riæ Desponsationem devo-  
tissimè celebremus. Cujus.  
Gloria Patri. Cujus.

## IN II. NOCTVRNO.

*Añã.* Specie tua, & pulchri-  
tudine tua, intende, prospere  
procede, & regna.

*Psal.* Eructavit cor meum  
verbum bonum.

*Añã.* Adjuvabit eam Deus  
vultu suo : Deus in medio  
ejus non commovebitur.

*Psal.* Deus noster refu-  
gium, & virtus.

*Añã.* Sicut lætantium om-  
nium nostrum habitatio  
est in te , sancta Dei geni-  
trix.

*Psal.* Fundamenta ejus in  
montibus sanctis.

℣. Adjuvabit eam Deus  
vultu suo.

℞. Deus in medio ejus non  
commovebitur.

Sermo sancti Bernardi  
Abbaris.

*Ex Hom. 2. sup. Missus est.*  
*Leclio iv.*

**O** Poterat à principis  
mūdi aliquandiu ce-  
lari divini consilij Sacra-  
mentum: non quòd Deus,  
si palam opus suum facere  
velleret, impediri posse ab il-  
lo merneret, sed quia ipse,  
qui non solum potenter,  
sed etiam sapienter quæcū-  
que voluit, fecit, sicut in  
omnibus operibus suis  
quasdam rerum vel tem-  
porum congruentias prop-  
ter ordinis pulchritudinem



*In festo Desponsationis B. M. V.*

servare consuevit : ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed prudentiam ostendere voluit.

*R.* Desponsatio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Iudæ, clara ex stirpe David : \* Cujus vita, inclucta cunctas illustrat Ecclesias.

*V.* Hodie desponsata est beata Virgo Maria ex proge-  
*nie David. Cujus vita...*

*Lectio v.*

**C**onveniens ergo erat, ut suaviter quoque omnia, cœlestia scilicet, & terrena disponderet, quatenus & illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret : & hinc debellaturus invidum, nobis prius suæ humilitatis, & mansuetudinis valde ne-

cessarium exemplum relinqueret : sicque mirabili fieret moderamine sapientiæ, ut, & suis suavis, & hostibus fortis appareret.

*R.* Cum jucunditate desponsationem beatæ Mariæ celebremus : \* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum.

*V.* Corde, & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcellæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

*Lectio vj.*

**Q**uid enim prodesset diabolum à Deo vinci ; nobis manentibus superbis ? Necessariò igitur desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc, & à canibus sanctam absconditur, & à Sponso virginitas comprobatur, & virginitas

nis tam verecundiæ par-  
citur, quàm famæ provi-  
derur. Quid sapientius !  
Quid dignius Divinâ pro-  
videntiâ ! Vno tali consi-  
lio, secretis cœlestibus, &  
admittitur testis, & exclu-  
ditur hostis, & integra ser-  
tatur fama Virginis ma-  
tris.

*R.* Desponsatio tua, Dei  
Genitrix Virgo, gaudium  
annunciavit universo mû-  
do : \* Ex te enim ortus est  
Sol iustitiæ, Christus Deus  
noster : \* Qui solvens ma-  
ledictionem, dedit bene-  
dictionem : & confundens  
mortem, donavit nobis  
vitam sempiternam.

*V.* Benedicta tu in mulie-  
ribus, & benedictus fru-  
ctus ventris tui. Ex te enim.  
Gloria Patri. Qui solvens,

IN III. NOCTVRNO.

*Añã.* Gaude Maria Virgo,  
cunctas hæreses sola inte-

remisti in universo mun-  
do.

*Psal.* Cantate Dño canti-  
cum novum.

*Añã.* Dignare me laudare  
te, Virgo sacrata : Da mihi  
virtutem contra hostes  
tuos.

*Psal.* Dominus regnavit,  
exultet terra.

*Añã.* Post partum Virgo  
inviolata permanisti.

Dei Genitrix, intercede  
pro nobis.

*Psal.* Cantate Dñm canti-  
cum novum.

*V.* Elegit eam Deus, & præ-  
elegit eam.

*R.* In tabernaculo suo ha-  
bitare facit eam.

Lectio sancti Evangelij se-  
cundum Matthæum.

*Lectio vij. Cap. i.*

**C**VM esset desponsata  
mater Iesu Maria Ioseph,  
antequã convenirent,  
inventæ est in utero habens  
de Spiritu Sancto. Et reliq.

Homi-

Homilia sancti Hieronymi

Presbyteri.

Lectio viij.

Lib. I. comment. in cap. I.

Matth.

**Q**Vare non de simplici Virgine, sed de desponsata concipitur: primum, ut per generationem Ioseph, origo Mariæ monstraretur: secundo, ne lapidaretur à Iudæis ut adultera: tertio, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiã quartam addit causam, cur à desponsata cõceptus sit: Ut patris, inquit, ejus celeretur diabolo, dum eum putat non Virgine, sed de uxore generatum.

℞. Beatam me dicent omnes generationes. \* Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

**A**Ntequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est, nisi à Ioseph, qui penè licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat. Quòd autem dicitur: Antequam convenirent; non sequitur ut postea convenirent; sed Scripturà, quòd factum non sit, ostendit.

℞. Felix uamque es, sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: \* Quia ex te ortus est Sol justitiæ, \* Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvenem, quicumque celebrant tuam sanctam Desponsationem. Quia ex te. Gloria Patri. Christus.

Lectio

*Lectio ix.*

**I**oseph autem vir ejus ,  
cùm esset justus , & nol-  
let eam traducer e, voluit  
occultè dimittere eam. Si  
quis fornicariè conjungi-  
tur, unum corpus efficitur:  
& in lege præceptum est ,  
non solùm reos , sed &  
cōscios criminum obno-  
xios esse peccati ; quomo-  
do Ioseph, cum crimen ce-  
laret uxori , justus scribi-  
tur : sed hoc testimonium  
Mariæ est , quod Ioseph  
sciens illius castitatem, &  
admirans, quod venerat,  
celat silentio, cujus myste-  
rium nesciebat. Te Deum.

**AD LAVDES.**

*& per Horas. Añã.*

**D**esponsatio gloriosæ  
Virginis Mariæ , ex  
semine Abrahæ , ortæ de  
Tribu Iuda, clara ex stirpe  
David.

*Psal. Dominus regnavit,  
cum reliquis de Dominica.*

*Añã.* Desponsatio est ho-  
die Sanctæ Mariæ Virginis,  
cujus vita inclyta cunctas  
illustrat Ecclesiās.

*Añã.* Regali ex progenie  
Maria exorta refulget, cu-  
jus precibus nos adjuvari  
mente , & spiritu devotis-  
simè poscimus.

*Añã.* Corde , & animo  
Christo canamus gloriam,  
in hac sacra solemnitate  
præcellæ genitricis Dei  
Mariæ.

*Añã.* Cum jucunditate des-  
ponsationem Beatæ Mariæ  
cèlebremus, ut ipsa pro no-  
bis intercedat ad Domi-  
num Iesum Christum:

*Capitulum.*

**A**B initio, & ante sæ-  
cula creata sum , &  
usque ad futurum sæcu-  
lum non desinam , & in  
habitatione sancta coram  
ipso ministravi.

*Hym-*

*In festo Desponsationis B. M. V.*

*Hymnus.*

riosa Virginum:  
imis inter sidera:  
cavit, parvulum  
nutris ubere.

Heva tristis ab-  
lit.

s almo germine.  
t astra flebiles,  
cludis cardines.  
egis alti janua,  
ucis fulgida:  
latam per virginē  
redemptę plaudite.  
tibi sit gloria,  
tus es de Virgine.  
atre, & almo Spiri-

iterna sæcula.

in.

ponsatio est hodie  
Marię Virginis.

is vita inclyta cun-  
strat Ecclesias.

*Benedictus Aña.*

onsationem hodie  
perpetuę Virginis ge-  
s Dei Marię solem-  
tebremus, quã cel-

situdo troni processit, Alle-  
luia.

ORATIO.

**F**Amulis tuis, quęsumus  
Domine, cęlestis gra-  
tię munus impertire: ut,  
quibus Beatę Virginis par-  
tus extitit salutis exordiū,  
Desponsationis ejus voti-  
va solemnitas pacis tribuat  
incrementum. Per Domi-  
num nostrum.

*Ad primam in B. brev. dic.*

ŷ. Qui natus es de Maria  
Virgine.

*Ad Tertiam. Aña.*

Desponsatio est hodie  
Sanctę Marię Virginis,  
cujus vita inclyta cunctas  
illustrat Ecclesias.

*Capitulum.*

**A**B initio, & ante sæ-  
cula creata sum, &  
usque ad futurum sæculum  
non desinam, & in habita-  
tione sancta coram ipso  
ministravi.

*B. brev. Specie tua, \* &  
pul-*

pulchritudine tua. Gloria Patri. Specie tua.

ψ. Adjuvavit eam Deus vultu suo.

℞. Deus in medio ejus non commovebitur.

AD SEXTAM.

*Añã.* Regali ex progenie Maria exorta refulget, cujus precibus nos adjuvari mente, & spiritu devotissime poscimus.

*Capitulum.*

**E**T sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctifica similiter requievi, & in Ierusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.

℞. Adjuvabit eam, \* Deus vultu suo. Adjuvabit.

ψ. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus. Gloria Patri. Adjuvabit.

ψ. Elegit eam Deus, & præelegit eam,

℞. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

*Añã.* Cum jucunditate desponsatione Beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum.

*Capitulum.*

**I**N plateis sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℞. *brev.* Elegit eam Deus, \* & præelegit eam. Elegit.

ψ. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit. Gloria Patri. Elegit.

ψ. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

*In secundis Vesp. Añã. Psalm. Capit. & Hymn. ut in primis vesp.*

ψ. Desponsatio est hodie Sanctæ Mariæ Virginis.

℞. Cujus

4. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

*Ad Magnificat. Aña.*

Desponsatio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est

Sol justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

*Oratio. Famulis. pag. 10.*

## Viennens.

**S**anctissimus Dominus Noster Innocentius Papa XI. ad enixas preces serenissima Imperatricis Regnantis Eleonora Magdalena Theresia sibi porrectas per Eminentissimum Cardinalem Pium, & relatas ab Eminentissimo Cardinali Alterio in Congregatione Sacra Rituum habita die 22. Januarij currentis de voto ejusdem Sacra Congregationis benignè annuit, atque indulget, ut deinceps singulis annis die 23. Januarij celebrari possit festum Desponsationis B. V. Mariae, cum suo Officio, & Missa in omnibus Provincijs hereditarijs, & Patrimonialibus Augustissimi Imperatoris, sicut celebratur in Provincia Moravia, & per totam Diocesim Episcopatus Olomucensis; Instante pariter P. Fr. Carolo Felice à sancta Theresia, Procuratore Generali Carmelitarum Discalceatorum, hac die 27. ejusdem mensis Januarij 1678.

Vt. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

*Bernard. Casal. Sac. Rit. Cong. t. Secret*

INNOCENTIVS PP. XI.  
ad perpetuam rei memoriam.

**P**rijs orthodoxorum Regum de Ecclesia Dei multis nominibus optimè meritorum studijs paterna charitate libenter obsecundamus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam bonorumque operum incrementum, & Christiani populi edificationem salubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque sicut pro parte charissimi in Christo filij nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nobis per dilectum filium nobilem virū Gasparem de Haro, & Guzman, Marchionem de Carpio, ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem nuper expositum fuit, aliàs videlicet die 22. Ianuarij 1678. Congregatio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prapositorum, Nobis etiam annuentibus, concesserit, ut officium Desponsationis Beatissima Virginis Mariae cum Sancto Ioseph, ab eadem Congregatione recognitum, & approbatum sub ritu duplici quotannis die 23. Ianuarij in omnibus provincijs hereditarijs, & patrimonialibus Charissimi in Christo filij nostri Leopoldi Romanorum Regis Illustris in Imperatorem electi recitari valeret prout in ipsius Congregationis Decreto desuper emanato uberius continetur; dictus verò Carolus Rex pro eximia sua erga gloriosissimam Virginem ac Sanctissimū ejus Sponsum predictos pietate, eiusmodi devotionem per Regna, & Dominia Hispaniarum prorogari plurimum desideret: Nobis propterea eiusdem Caroli Regis nomine per predictum Gasparem Marchionem, humiliter supplicatum fuit, ut in pra-

missis



missis opportunè providere benignitate Apostolica digna-  
remur. Nos igitur pijs ipsius Caroli Regis votis, & sup-  
plicationibus huiusmodi, quantum cum Domino possumus,  
favorabiliter annuentes de memoratorum Cardinalium  
consilio, ut predictū Officiū Desponsationis Beatissima Vir-  
ginis Maria cum Sancto Ioseph annis singulis, die 23. Iu-  
narij, sub ritu duplici in omnibus Regnis, & Dominijs  
Hispaniar. predicto Carolo Regi subiectis pari formiter re-  
citari libere ac licitè possit & valeat Apostolica autori-  
tate, tenore presentium concedimus & indulgemus. Decer-  
nentes easdem presentes litteras semper firmas, validas, &  
efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effe-  
ctus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tem-  
pore spectabit, plenissime suffragari; sicque in premissis per  
quoscumq: Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarū  
Palatij Apostolici Auditores judicari, & desiniri debere,  
ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis  
authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, nō  
obstantibus Cōstitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis,  
ceterisque contrarijs quibuscūque. Volumus autem ut pre-  
sentium litterarū transumptis, seu exemplis etiam inpressis  
manu alicujus Notarij subscripti, & sigillo persone in Ec-  
clesiastica dignitate cōstituta munitis, eadem prorsus fides,  
tam in iudicio, quam extra illud habeatur, que haberetur  
ipsis presentibus si exhibita forent, vel ostensa. Datum Ro-  
ma apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 18.  
Martij 1680. Pontificatus nostri Anno quarto.

I. G. Sluiss.

Die 20. Augusti 1682.

IMPRIMATUR.

Fr. Ildesontus Archiep. Episc. Barcin.  
Doct. Franc. Pissæ Præb. Secr.